



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

**Titulvs XV. De Eo quid mittitur in possessionem causâ rei servandæ.**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](#)

## TITULVS XV.

De

Eo quid mittitur in possessionem  
causâ rei servandæ.

UÆRES i. Quotuplex sit missio in possessionem, & quis ejus effectus? R. Sicut tria omni re in commercio humano existentes necessariò distinguenda sunt, scil. nuda detentio, possessio & proprietas; ita secundum trinam hanc rei distinctionem, tria etiam est inventa immisio in possessionem, quâ contumacia, maxime de Jure Civili, solet castigari. videlicet immisio ex primo, secundo & tertio decreto. Reo igitur contumace pars litigans ex decreto primo Judicis immititur in bona contumacis; hujus primi decreti effectus est, quod immisus nec proprietatem, nec possessionem, sed nudam tantummodo rei detentio- nem consequatur, vigore cuius eam custodire, atque ubique sicut & ipse Dominus præsens esse posset adeoque si Dominus cubiculum intret, intrabit & ille; si is colloquendi causâ quempiam in Conclave introduxerit, sequetur & ille; si Dominus descendat in cellam, comitabitur & ille; hunc in finem, ut adversarius tædio affectus Judici pareat. quod si verò anno lapso contumax esse perrexerit, tunc si actio realis fuerit, sine ulteriori decreto, si personalis, per secundum judicis decretum verus efficitur rei possessor, cap. i. b. t. sola proprietate adversario reservata; sit autem hæc se- gunda immisio in actione reali, in possessionem

rei

rei quæ petitur; at in actione personali in possessionem prius rerum mobilium, si quæ reo fuerint, vel si his careat reus, in possessionem immobilium, quæ omnia in capitl. ult. ut lute non constet. latius deducta reperes; crescente contumacia & reo nequè sic juri parente, actor rem per sententiam sibi adjudicari petit, per quam plenus fit rei dominus §. ult. Instit. de offic. Judic. quod aliqui non immitto vocant, immitti in possessionem ex tertio decreto.

**QUÆRES 2.** An dicta procedant tam de actore quam reo? Resp. Ea de contumaciâ rei intelligenda esse. si enim actor contumax fuerit, reo ante omnia refundet expensas, & tunc reo pentente procedetur ad sententiam, si de causa constet, ut superius dictum; si vero non constiterit reus absolvitur ab instantiâ, non tamen ab actione, cap. causam de dolo, authent. quod fieri. Cod. de dilationibus.

**QUÆRES 3.** Quid intersit absolvi ab actione, vel ab instantiâ tantum? Resp. Hoc interest, quod absolutus ab actione, super eadem amplius conveniri non possit, cum obstet semper exceptio rei judicatae, absolutus vero ab instantiâ, actor de novo respondere cogatur, si satisfactionem quo ad expensas retardatae litis haberit, & hic modus coercendi contumaciam hodie dum adhuc practicatur, si pars petierit; quamquam ut sit. præcedente dictum hodierna praxis longè faciliorem modum habeat, contumaces puniendi.

**OBJICES.** 1. Actor in judicio comparere



rere non cogitur; ergo contumax fieri nequit.  
**Anteced.** prob. nemo tenetur agere, l. un. Cod. ut  
*nemo invitus.* Ergo. **Respond.** disting. anteced. si  
non obtulit libellum **Conced.** si libellum obtulit,  
ad eoque judicium inchoavit. **Nego.** Sic enim  
comparere cogitur.

**OBJICIES** 2. **A**ctore non probante reus  
est absolvendus etiamsi nihil probaverit. *l. 4. cod.*  
*de edend. l. 7 3. cod. de probat. cap. fin. de jurejur.* Ergo  
actore contumace male injungitur reo onus pro-  
bandi. **Respond.** Est absolvendus vel ab actione,  
vel ab instantia **Conced.** semper ab actione. Ne-  
go. vel **Respond.** Reus simpliciter est absolvendus,  
si actor in probatione succubuit, **Conced.** Si con-  
tumax nullam probationem adduxit, **Nego.**

## TITULUS XVI.

Vt lite pendente nihil inno-  
vetur.

**QUÆRES** 1. Quo tempore incipiat litis  
pendentia? **Respond.** Lis pendere dicitur  
quando post oblatum actoris libellum ci-  
tatio reo insinuata est, aut taliter per eum stetit,  
quò minus citatio insinuari potuerit. *Clem. 2. b. t.*  
quæ litis pendentia durat usque ad sententiam de-  
finitivam, imò ulterius, si nimirum appellatio fue-  
rit interposita.

**QUÆRES** 2. Quis fit litis pendenteis ef-  
fectus? **Respond.** Ejus effectus est quod à citatione  
usque